

NAHUM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Jonas contra Niniven predicans, eique excidium post quadraginta dies intentans, eandem ad penitentiam convertit; per quam ipsa Jonas minas et excidium evasit et averit. Verum postea ad ingenium, ac ad scelera et tyrannidem suam rediens, Dei iram rursus in se concitavit, praesertim cum tyrannide alias gentes, ac nominatim Israelitis, puta decem tribus, invasit et excidit. Quocirca post Jonam submitit Deus Nahum, qui Jonas minas contra Niniven renovaret et revocaret. Porro Niniven non esse excisam ob primam in scelera recidivam, qua post actam, praedicante Jona, penitentiam mox subsequuta est, fuse probat Ribera cap. II, num. 5 et sequent., quae sequitur Torneilius anno mundi 3321: sed ob aliam longe posteriorem praevicationem. Nam propter illum priorem Ninivitarum sub Sardanapalo relapsam, Deus illico punivit eos, dum permisit eos ab Arbace Medo et Beloso Babylonio subjugari. Hi enim ceperunt Niniven, et Sardanapalum ad mortem sibi consciscendam compulerunt. Verum Ninive ab Arbace vastata postea refovit, pluresque habuit reges potentissimos, nimirum Phul, Teglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon, qui Israelitas vexarunt et oppreserunt, ut patet ex lib. IV Regum, ac sub iis ad pristina scelera et tyrannidem rediit. Quocirca Dei vindictam et excidium ei, totique Assyriae (hujus enim metropolis erat Ninive) rursus comminatur hic Nahum; qui quasi novus Jonas novum proclamans supplicium, haece minas ei intentavit post abductas decem tribus in Assyriam, quod contigit anno 6 Ezechiae. Unde liquet eum prophetasse post annum sextum Ezechiae; sed ante annum ejus decimum quartum, quo Sennacherib rex Assyriorum invasit Judaeam, et Jerusalem obsedit: nam hunc ejus adventum, et Jerusalem ac Ezechiae ab eo liberationem praedicit hic Nahum. Ita S. Hieronymus hic in Proemio, Theodoretus, Theophylactus, Remigius, Haymo, Albertus, Hugo, Ribera, a Castro et alii passim. Audi S. Hieronymum: « Post Jonam, inquit, Mi-

Tempus quo propheta Nahum.

chaeas ponitur, et post Michaeam Nahum, qui interpretatur consolator; jam enim decem tribus ab Assyriis deductae fuerant in captivitatem sub Ezechia rege Juda, sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati adversus Niniven visio cernitur. Nec erat parva consolatio, tam his (Israelitis, sive decem tribubus) qui jam Assyriis serviebant, quam reliquis qui sub Ezechia de tribu Juda et Benjamin ab iisdem hostibus obsidebantur, ut audirent Assyrios quoque a Chaldaeis esse capiendos. » Hinc rursus sequitur, ab initio prophetae Jona usque ad Nahum fluxisse annos circiter 90. Perperam ergo Hebraei in *Seder Olam*, et ex iis Vatablus, Arias et Genebrardus in *Chronol.*, numerant tantum 40, quia putant Nahum, Joelem et Habacuc prophetasse sub Manasse filio Ezechiae, sed ejus, utpote improbi, nomen tacuisse. Nam Jonas, ut ostendi in ejus Proemio, cepit prophetare tempore Jeroboam et Sardanapali, sub initium regni Oziae regis Juda: quare cum Ozias regnarit 52 annis, deinde Joathan filius ejus annis 16, post Joathan Achaz annis 16, post Achaz successerit Ezechias, cuius anno sexto, vel paulo post prophetavit Nahum; si colligas hos omnes annos, conficies 90, quos dixi. Torneilius, anno mundi 3321, censet Nahum coepisse prophetare uno anno antequam Sennacherib obsideret Jerusalem, puta anno 13 Ezechiae: nam anno ejus 14, Sennacherib obsedit Jerusalem. Quod si verum est, ac Ninive cum regno Assyriorum eversa, sub annum 5 post excidium Jerusalem factum a Chaldaeis, ut ostendunt cap. II, initio. Quare ab hae Nahum propheta, usque ad ejus complementum, puta usque ad excidium Ninives, fluxerunt anni circiter 138. Cepit enim Nahum sub annum sextum Ezechiae, qui deinde adhuc 23 (nam universim regnavit annis 29) annis regnavit: successit ei filius Manasses, qui regnavit annis 53. Huic successit Amon annis duobus: huic Josias annis 31;

Post Joannam 50.

huic Joakim annis 41; huic Sedecias annis 11; sub quo anno 11 excisa est Jerusalem a Chaldaeis, ac deinde post annos 3 ab eisdem eversa est Ninive. Adde hos annos, habebis 138, quos dixi. Ex dicit sequitur errare Clementem Alexandrinum, qui, lib. I *Stromatum*, censet Nahum prophetasse post Ezechielem, puta post annum 5 transmigrationsis Joachin in Babylonem. Minus recte quoque Josephus, lib. IX *Antiq.* XI, scribit Nahum coepisse prophetare sub Joathan, qui fuit avus Ezechiae (1).

De Nahum ita scribit S. Epiphanius in Vita ejus: « Nahum natus erat ab Elkasi trans Jordanem fluvium, versus Begabar, de tribu Simeon. Hic est propheta ille, qui post Jonam ostentum ac prodigium dedit super Ninive, quod ab aquis dulcibus, igneque terreno olim vastaretur. Id quod tandem contigit, quippe eam terra motu undique ambiente, mox etiam aqua de solitudine supervenient, superiores omnes urbis locos occupavit. Exspiravit vero Nahum animam in pace, et in Begabar, sedibus ille suis placidis in morte quiescit. » Verum de hoc ostento, quod scilicet Ninive aquis dulcibus igne et terrae motu everteretur, nihil expresse apud Nahum, vel apud Josephum legitimus. Eadem tamen habet Dorotheus in *Vita Nahum*, qui et modum addit: « Nam stagnum, inquit, quo civitas illa (Ninive) circumdata erat, facta terrae motu, submersit eam, ac perdi-

Osata Nahum.

dit; et ignis e solitudine ortus superiorem illius partem consumpsit. » Et aliquid tale insinuat Nahum cap. I, 4, et cap. II, 13, et cap. III, 13, ubi ibi dicam. Ibidem Dorotheus asserit Nahum de resurrectione prophetasse cap. I, 13 (2).

Tropologicae et analogice S. Hieronymus: Tropologicae. « Sciendum est, inquit, (quoniam Ninive de Hebraeo speciosam sonat; speciosus autem hic mundus dicitur. Unde et apud Graecos κίρακος ab ornatu nomen accepit) quidquid nunc adversus Niniven dicitur, de mundo figuratim praedicari. Quam ob causam assumpto, quam Septuaginta interpretantur *κίρακος*, et Aquila *κίρακος*, apud Hebraeos *כִּרְאִים* massae ponitur, id est grave onus, eo quod eam adversus quam videtur premat, nec sinat elevare cervicem. » Et mox: « De consumptione itaque mundi, secundum analogon, o Paula et Eustochium, in consolationem Sanctorum propheta texit, ut quaeque in mundo vident, quasi praetereuntia et caduca condemnant, et praeparant se ad judicium diei, ubi ultor adversus veros Assyrios futurus Dominus est. » Idem, epistola ad Paulinum: « Nahum, inquit, consolator orbis increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur: Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntians pacem. » Nahum enim vel hebraice *Nachum*, deducitur a radice *נחם* *nacham*, id est consolatus est. Nahum ergo idem est quod Noe, id est consolator, per apo-

(1) Duae clades Ninives et ipsi Kalinsky et Dathius agnoscunt, unam sub Sardanapalo ab Arbace inflictam, 877 ante Christum; alteram sub Chinadlano, a Craxara I, 693 anno ante Christum: sed utraque a Nahum propheta intentas fuisse existimant. Quam sententiam merito impugnavit Jahn, *Introduct.* § 115. Nam inde sequeretur Nahum vixisse anno 877 ante Christum, quinquaginta annis ante destructionem Israelis regni (822), distansque ante Sennacherib invasionem, quod a plerisque melioris note interpretibus rejicitur. Pro certo ergo cum illis tenendum est, post decem tribuum captivitatem, et ante Jerusalem excidium a Chaldaeis, hoc vaticinium Nahum edidisse.

Haec magis admittenda nobis videtur sententia Maurer, qui asserit scriptam esse hanc orationem post ingrem Sennacheribi stragem. Nam, ut recte observat Jaegerus (licet nullius ponderis ab illo prolata argumenta dicat Maurer), nobis quidem mirum videretur Prophetam tantis rei, tantam spem excitantis, nullam facies mentionem, emblemata Assyrios, clade ista attentatos, *תִּגְרוּס* *achelamin* appellasse; sed finge, Prophetam tunc tempore oraculum suum protulisse, cum Sennacherib, Hierosolymis instans atque deditionem urbis imperans, et regem Judaeorum et ipsam eorum nomen tutelare per nuncios atque litteras incesseret atque proscinderet, tunc omnia erunt plana. Quae enim oraculo insunt res atque sententiae, esse hanc temporis momento aptissimas esse inventas, et mire etiam conveniunt cum iis quae et Isaiam et ipsam regem Hiskiam tunc tempore sensisse, sperasse atque elocutos fuisse historia prohibet; cf. *Nah.* I, 5 et seqq., coll. II Reg. XIX, 14 et seqq.; *Nah.* I, 7, coll. II Reg. XVII, 32; XIX, 19, 31; II Chron. XXXI, 7 et seqq.; *Nah.* I, 9, 11, coll. II Reg. XIX, 28, 27 et seqq.; *Nah.* I, 14, coll. II Reg. XIX, 6 et seqq.; *Nah.* II, 1-3, coll. II Reg. XIX, 23 et seqq.; *Nah.* II, 14, coll. II Reg. XIX, 22 et seqq.

(2) Totum Nahum versatur argumentum in eo, ut graves deandit suppliciorum calamitates, quas Assyris ob crudelem, quo Judaeos premebant, imperium, summas et aeternas omnium rerum inflictorum sit arbiter. Quae omnia tanta executus est sententiarum gravitate, tantis verborum ponderibus, tanta augustarum vividissimisque coloribus picturam imagnu quoque, inquit Rosenmuller, ut non dubitantes accedere Lowthii facultatis poeticae arbitri maxime idonei, judicio, ex omnibus minoribus prophetis neminem aquare sibi videri sublimitatem, ardorem et audaces spiritus Nahumi. De stylo Nahumi, et ratione poetica, vide Ribera, *Proem. in Nahum*; Kreenen, *Dissert. de Nahumi vaticinio*; Jahn, *Introduct.* § 116; De Wette, *Lehrbuch der Hist. krit. Einleit.* § 241; Lowthium, *De Poesi sacra Hebr.* Praelect. XI; Elchornium, *Einleit.* § 586, sect. 392, 393.

Principii interpretes qui Nahum illustrando peculiarium operam impenderunt, sunt: Inter catholicos, S. Johannes Tolstani Archiepiscopus (690), *Biblioth. Petrum*, tom. XII; Hector Pintus, 1588: 1595; Cyprianus de la Huerga, Lugduni, 1558-1561; Jacobus Jansenius, Heidelberg, 1599; Augustinus de Quiros, Hispali, 1623; Lugduni, 1623.

Inter protestantes seu acaatholicos, Theodorus Bibliander, Zurich, 1534; Salomon Gesner, Wittembergae, 1604; Lud. Crocius, Bonnae, 1620-1627; Jo. Henr. Ursinus, Francofurti, 1652; Mathias Hafenefferi, Stuttgart, 1663; Adamus Wildius, Francofurti, 1712; M. J. Gottlieb Kalinsky, Uralitavus, 1748; N. S. Colliander, Upsal, 1788; E. J. Greve (Editio metrica), Amstelodami, 1793; Andr. Swanbourg, Upsal, 1806; Christ. Mart. Frahn, Rostoch, 1808; Jo. H. Pareau, Hardevic, 1808, etc., qui omnes latino sermone in Nahum scripserunt commentaria, dissertationes, criticas et philologicas expositiones seu paraphrases.

copen. De Noe enim dicitur *Genes. v, 29* : « Vocavitque nomen ejus Noe, dicens : Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus. » Vide ibi dicta. Rursum, quia *Naham* in *piel*, significat *penitere*; hinc *Nahum* verti quoque potest *penitens*. Unde Pagninus in *Nominibus Hebr.* : « Nahum,

inquit, idem est quod consolator, aut penitens, aut consolationem vel penitentiam adeptus; aut consolatio vel penitentia. » Sicut enim Nahum pios Israelitas spe opis divinae consolatur; ita impios Ninivitas terrore minarum percellit, adigique ad penitentiam. Idem facit concinator.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duplicem Propheta huic capiti totique prophetiae praefigit titulum. Prior est, Onus Ninive; quia Ninivitis post Jona predicationem, et penitentiam, in pristina scelera relapsis, comminatur excidium, a vers. 1 usque ad vers. 7. Posterior, Liber visionis; quia a vers. 7 usque ad finem capitis consolatur Israelitas, Assyriorum et Sennacherib hostis sui strage et intereptione (1).

1. Onus Ninive : Liber visionis Nahum Elceesai. 2. Deus emulor, et ulciscens Dominus : ulciscens Dominus, et habens furorem : ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis. 3. Dominus patiens, et magnus fortitudine, et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine viae ejus, et nebulae pulvis pedum ejus. 4. Increpans mare, et exsiccans illud; et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan, et Carmelus : et flos Libani elanguit. 5. Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt : et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo. 6. Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furoris ejus? indignatio ejus effusa est ut ignis : et petrae dissolutae sunt ab eo. 7. Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis : et sciens sperantes in se. 8. Et in diluvio praetercunte, consummationem faciet loci ejus : et inimicos ejus persequetur tenebrae. 9. Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse faciet : non consurget duplex tribulatio. 10. Quia sicut spinae se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium : consumerentur quasi stipula ariditate plena. 11. Ex te exhibit cogitans contra Dominum malitiam : mente pertractans praevocationem. 12. Haec dicit Dominus : Si perfecti fuerint, et ita plures; sic quoque attendentur, et pertransibit : afflixi te, et non affligam te ultra. 13. Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo, et vincula tua dirumpam. 14. Et praecipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius : de domo Dei tui interficiam sculptile et conflatile, ponam sepulcrum tuum, quia inhonoratus es. 15. Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem : celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua : quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial : universus interit.

Vers. 1. 1. ONUS NINIVE. — « Onus, » id est prophetia onerosa et calamitosa, quae quasi grave onus et jugum imponitur collo Ninive, quasi vaccae lascivientis, ut illam ducat ad lanicem, a Deo maciet et vicimet. Unde Chaldaeus vertit, *onus calicis maledictionis*. Vide quae de voce *onus* dixi *Isaia*

cap. xiii, 1. Pro *onus* Septuaginta vertunt, *λίμα*, id est assumptio, puta onus quod assumitur; quod aliter et varie explicat Theophylactus. *Primo*, ad litteram, *g. d.* Assumpta, elevata, et « arrepta mens mea a spiritu, praevidit quae Ninive essent obventura. » *Secundo*, « videtur *leimna* appellare

(1) In hoc primo capite describuntur indicia Assyriae castigationis; et in duobus sequentibus, ipsa ruina Ninive et regni Assyriorum.

Primo, post duplicem inscriptionem, orditur vates magnifica descriptione divinae majestatis ac potentiae, ut, quod postea subjicit de Ninive excidio plus habeat ponderis; Deus enim *primo*, ex suo attributo est zelotes et vindex malorum, 2; *secundo*, diu dissimulans penam non remittit, sed inopinatus sumit, 3; *tertio*, vindictam exsequitur potentissime et ineluctabiliter, 4, 6; *quarto*, tam bonus erga pios, quam sit ira adversus malos accensus, 7. *Secundo*, excitatur Judaea ad spem in Deum, *primo*,

ob imminens Ninivitarum urbis, et regni Assyriorum horrendam cladem atque excidium, quam describit sumpta metaphora ab inundatione vehementer erumpente atque omnia loca magno impetu pervadente; et tribulationem non augendam, sed finendam, 8, 9; *secundo*, ob Assyriorum Judaeam exhaurientium consumptionem, 10; *tertio*, ob blasphemorum expulsionem, 11; *quarto*, ob instantem hostibus copiosis castigationem, Judaeae autem afflictiae liberationem a plagis, 12, 13; *quinto*, ob eripendam Sennacherib famam, spem et vitam, 14; *sexto*, ob nuntiandam liberationem, faciendam religioni libertatem, negandum Assyriis reditum, 15.

iram Dei cum zelo, ex eo quod fortior apprehendit imbecilliorum, ut dilaniet, » *g. d.* Deus assumet et apprehendet Ninive, sicut accipiet apprehendit turturum, ut discerpatur. *Tertio*, mystice et allegorice: « Ninive est ipsa caro quam assumpsit Christus, ut condemnaret peccatum in carne. Eadem est liber visionis, quia Christus est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. » *Quarto*, tropologic lemma Ninives est assumptio peccatorum ad Christi gratiam, justitiam et salutem. « Vide autem quod primum, lemma Ninive, deinde *liber visionis* dixerit. Nisi enim quis vitia spoliaret, et sub jugum mittat, ad liberum visionis, qui est contemplatio, non perveniet. » Hæc Theophylactus. *Quinto*, poetice Sanchez: *Lemma*, inquit, est titulus, vel summarium epigrammatis, vel emblematis, ut Martialis lib. XIV, suis epigrammatibus præfigit titulos, quos vocat lemmata, causamque dat:

Lemmata si queris cur sint adscripta, docebo;
Ut si malueris, lemmata sola legas.

Sic sensus erit, *g. d.* Libri visionis Nahum argumentum totum est contra Niniven (1).

Luna. — Solebant Prophete viva voce prophettare et concionari, ac deinde eadem in libro describere, ut ab auditoribus relegi et repeti, atque a posteris legi possent: hac de causa vocatur hic liber. Addit Arias librum more hebreo vocari epistolam, quo hoc oraculum scripsit Nahum, mistique ad Ninivitas; nec enim ipse eos adiit, ut fecit Jonas.

VISIONIS NAHUM. — Visionem aliqui interpretati sunt exstasim; unde Montanus hæresiarcha, tempore Tertulliani, docuit Prophetas in exstasi locutos, ita ut nescirent quid dicerent, sicuti faciunt energumeni a demone correpti, ut refert Epiphanius hæres. 48. Sed hic est error, quem Epiphanius, S. Hieronymus, S. Basilius, S. Chrysostomus et alii passim impugnant. Audi S. Basilium Prefat. in *Isaiam*: « Sunt, ait, qui dicant eos (Prophetas) extra se raptos prophetare, humana mente a Spiritu absorpta: verum id abhorret a professione divine presentie, ut amement reddat, qui a Numine corripitur. » Et mox: « Qui consomsum est, ut quis ex sapientie Spiritu similimus insano reddatur, vel quin potius neque lumen cæcitate parit, verum videndi vim a natura in vitam expergefcat. » Et rursus respondens objectioni: « Porro, si quoniam Isaac in ingressu filii sui extra se raptus fuit, et quoniam David dixit in excessu suo (omnis homo mendax), ob id fingant sanctos extra se rapti; intelligunt admi-

Prophetas non loquentes in exstasi.

rationem ac stuporem appellatum esse raptum. » Et S. Hieronymus Prefat. in *Isaiam*: « Neque vero, ait, ut Montanus cum insanis feminis (Prisca et Maximilla, prophetissis ejus) somnia Prophetæ in exstasi sunt locuti, ut nescirent quid loquerentur; et cum alios erudirent, ipsi ignorant quid dicerent, de quibus Apostolus dicit: Nescientes quid loquantur; sed juxta Salomonem (sapiens intelligit quæ profert de ore suo, et in labiis suis portabit scientiam) etiam ipsi sciebant quid dicerent. Si enim sapientes erant Prophetæ, quod negare non possumus, quomodo, instar brutorum animalium, quid dicerent ignorabant? » Et S. Chrysostomus, hom. 29 in *I Corin.*: « Hoc vatis, ait, proprium est mente commoveri, et necessario compelli, et trahi tanquam furis percutum: Propheta autem non ejusmodi est, sed sobria mente, et modesta, et firma, que loquitur omnia novit, ut decet. »

Visio ergo Prophetarum non fuit exstasim arreptitia, sed intelligentia mentalis, quæ videbant, id est intelligebant, ea quæ sibi a Deo ostendebantur et revelabantur, ut dixi *Isaiæ* cap. i, l. Porro prophetiam suam Nahum vocat tum onus, tum visionem, quia illa fuit onerosa Ninivitis, eademque fuit visio consolatoria Israelitis; eos enim consolatur ex Ninive et Sennacherib strage.

ELECEI. — oriundi ex Elcese viculo Galilee, de quo S. Hieronymus in Proemio: « Quidam, ait, putant Helkesum patrem esse Nahum, et secundum hebræam traditionem etiam ipsum prophetam fuisse, cum Helkesal usque hodie in Galilea viculus sit, parvus quidem, et vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia; sed tamen notus Judæis, et mihi quoque a circumducente monstratus. » Ita quoque Epiphanius in *Vita Nahum*, Chaldaeus, Theophylactus, Remigius, Lyranus, Hugo, Ribera, a Castro et alii passim. Quare minus recte nonnulli cum Vatablo consent Nahum a familia cognominatum esse Elcesum (2). Porro symbolice Elcesus hebraice idem est *Elesus* quod serotinus, tardus (unde ab eadem radice derivatum nomen *לקש lekus*, וליקש malos significat pluviam serotinam); quare apposite denotat serotinam et tardam Dei vindictam exercendam in Ninive, quam post Jonam Nahum, quasi serotinus, ei denuntiat. Deus enim tardus est ad puniendum, sed tarditatem supplicii gravitate compensat, juxta illud veterum: « Dii lænos habent pedes, sed ferreas manus. » Quocirca Arias censet Jonæ oraculum fuisse quasi pluviam temporaneam, quæ segetes germinare facit: Nahum vero prophetiam esse quasi plu-

Vide serotus qualis

Id est serotinus cur?

(1) Ev. Kreenen ad hunc versum: « Apertum est hic una cum metropoli Ninive totum imperium Assyriacum significat, uti sepe Hierosolyma pro tota Judæa, Samaria pro toto regno Israelitico, atque urbes principes pro universo quodam, ad quod pertinebant, regno nominantur a scriptoribus sacris, ac præsertim a prophetis. »

(2) Nec miri quidquam habet, ut bene observat Maurer, et Rosenmüller, Jova vatem, ortu Israelitico, everso regno patrio, in Judæicam regnum transisse, causam egisse Judæorum populi fraterni, ibique suam vaticinium edidisse. Nam Judam ablocutus, cap. ii, l. 1, in ea terra degisse, statimque per annum solemniam una cum reliquis incolis celebrasse videtur.

viam serotinam quæ messem maturat; imminet enim cladem et demessionem gentis et regni Ninivitis denuntiat.

2. DEUS EMULATOR, ET ULTICENS DOMINUS. — Hebraice: *Deus zelator*, hic enim est זלזל et zelotes, et ultor est יהוה: Syrus: *Deus zelator et ultor*, *g. d.* Jehova est Deus zelotes, qui ingenti zelo tuetur fideles suos, æque ac justitiam et pietatem; ideoque infideles et tyrannos, qui fideles et insontes vexant et opprimunt, acriter punit et ulciscitur. Zelus enim ipsius non fert fidem et justitiam ab impiis calcari, aut eorum injurias manere inultas et impunitas. Quocirca ipse, ut zelotes, gravi vindicta vos, o Assyrii et Ninivite, plectat, eo quod populum ipsi fidelem, puta Isra-

elitas, sepius invaseritis et vastaveritis. Itaque zelus duos, eosque contrarios actus complectitur. *Prior*, est ingens amor et cura tuendi rem amatam, puta populum suum; posterior, ingens ira et cupidio puniendi eos, qui populum a se amatam ledere et affligere ausi sunt. Unde pro *Deus zelotes*, Tigurina vertit, *Deus cuique ferens injurias*; Chaldaeus, *Deus judex*. Iudicis enim est tueri justos et justitiam, ac punire injustos, eorumque injurias. Zelotes ergo idem est quod vehemens ardensque amator suorum, et ultor hostium. Unde *2. ulticens* tertio hic repetit Propheta, ut significet Deum acerrimum esse ultorem, et acerrime puniturum Ninivitas, eo quod post monitionem Jonæ relapsi sint in pristina scelera, ac tertio, id est sepius, invaserint et expillarint populum Dei. Vide hic et mirare zelum et zelotypiam, ut ita dicam, Dei nostri in suos fideles et filios, quos cum flagellavit, illico in flagella ipsa indignationem suam convertit; ideoque in hostes ejus acer vindex insurgit, illisque vehementer irascitur; perinde ac pater flagellans filium peccantem, percussit filii dolore multo magis commiseratione sentit, quam filius ipse vapulando sentiat; unde mox furorem suum in virgam ipsam convertens, ipsam confringit, in frusta concidit et abjicit, moxque totus lacrymis perfusus, corruens in collum plangentis filii, inter dulces amplexus, merori ac dolori lætis gratissimisque pollicitationibus medetur. Ita facit hic Deus Israelitici: quare blandiens illi, vers. 12, ait: « Afflixite, et non affligam te ultra. » Denique Deus est zelotes, quia solus ab Ecclesia, et ab anima sancta amari vult, nec in amore ullum patitur rivalem.

HABENS FUREM. — Hebraice הכה כעל baal chema, id est vir iræ, vel dominus furoris, id est habens furorem; baal enim, id est dominus rei alieque vocatur is, qui illam habet et possidet. Sic maritus vocatur baal, id est dominus uxoris, hoc est habens vel possidens uxorem, *g. d.* Putas, o Ninivite, Deum carere ira, quia tandem scelera vestra dissimulavit, et impunita reliquit? Fallimini: nam in se habet colligitque incipientem furorem, quem totum suo tempore, instar torrentis igni, in vos effundet. Apis, dum

mel fundit, aculeum retrahit et occultat; at si quis hoc mel rapere conetur, mox in eum aculeum distingit; ita et Deus suis fundit mella donorum, impiis vero reservat aculeum suppliciorum. Id prælet in beatis et damnatis. Quanta enim est felicitas et gloria beatorum, tanta est infelicitas et miseria damnatorum; hi enim bibunt fel amarissimum iræ, æque ac illi mel dulcissimum gratiæ et amoris Dei.

Mystice, Deus dicitur dominus iræ et furoris, quia illi dominatur; homines irati et furibundi impotes sui, reguntur ab ira et furore: at Deus ab illis non regitur, sed ea ad nutum regit, ponit, exserit, moderatur, perinde ut pastor regit ovem.

IRASCENS IPSE INIMICIS SUIS. — Hebraice נטר נטר, id est custodiens, scilicet memoriam offensurarum, earumque vindictam, et ulciscendi cupidinem. Unde Pagninus vertit: *Iram reservans inimicis suis*; Tigurina: *Injuriarum minor adversus hostes suos*; Septuaginta: *Tollens ipse inimicos suos*, idque in ira vehementi, ut ait Chaldaeus. Deus ergo in mente sua colligit, et quasi in thesauro recondit iram, ut eam suo tempore in impios totam effundat, ait Mariana.

3. DOMINUS PATIENS. — Hebraice, *Jehova longis*, id est latis, *noribus*, id est tardus ad iram, ut vertit Vatablus, et *longanimis*, ut vertunt Septuaginta. Unde Chaldaeus vertit: *Domitius longe propelet iram*; Arabicus: *Dominus prolongans, tolerans, patiens*. Qui enim longas, id est magnas et latas, habent nares, fumos iræ et bilis facile efflant et expirant, ideoque sunt longanimis; qui vero arcus habent, difficilius illos efflant, ideoque sunt cholericis, ut dixi *Ecod.* cap. XXXII, 28, *g. d.* Deus, licet habeat iram et furorem, tamen longanimiter sustinet vos et vestra scelera, o Ninivite, quia expectat ut respiciatis. Ita Athenodorus philosophus Cesari Augusto valadicens, hoc ei velut aureum et divinum dedit documentum: « Iratus nihil dicas, vel factas, priusquam 24 Græcorum litteras percurris. » Ita Suetonius in *Augusto*.

ET MAGNUS FORTITUDINE. — Vatablus, *pollens viribus*; Arabicus, *fortitudo ejus maxima*: alii, *magnus virtute, vel potentia, g. d.* Deus non ducitur ira et animi impotentia, sed iram potest cohibere apud se quamdiu vult; et tamen punit suo tempore. « Deus, ait S. Hieronymus, magnanimitatis suæ fortitudine iniquitates eorum (Ninivitarum) sustinuit, provocans eos ad penitentiam. » Deus enim ita excelso fortique est animo, ut neque offensionibus irretetur, nec repulis frangatur; nec quantavis scelerum multitudine, vel magnitudine vincatur, ut furibundus proliat ad vindictam, sed novit potestque iram suam sustinere, ut, si respiciant homines, miseretur et parcat; si obstinati sint, exspectet tempus opportunum quo eos plectat, totumque furorem tanto tempore collectum uno impetu in eos ef-

Deus est dominus iræ, homo serenus.

Vers. 3.

Athenodori viri docti iræ supplicia menda.

fundat. Quanta enim fuit Deo patientia in expectando, tanta erit ejus potentia et furor in vindicando, juxta illud S. Pauli *ad Romanos*, II, 4: «An divitiis bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contentis? ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?» id est adducere conatur: «secundum autem duritiam tuam et impetens cor, thesaurizas tibi iram in die ire, et revelationis justi judicii Dei.» Quae verba explicans S. Augustinus lib. I *Contra adversarios legis et Prophetarum*: «Ille, inquit, auget longanimitatem, et tu auges iniquitatem. Erit illius thesaurus in sempiterna misericordia, sed in eos qui non contempserunt misericordiam: tuus autem thesaurus in ira invenietur, et quod ponis quotidie per modicum, ingentem postea massam inventurus es. Tu minutim imponis, sed postea cumulum invenias. Non attendere minuta peccata tua quotidiana; de minutissimis enim guttis flumina implentur.» Unde et subdit Nahum:

ET MUNDANS NON FACIET INNOCENTEM, — *q. d.* Nullo modo Deus vos, o Ninivite, mundos et innocentes, tacendo, patiendi et dissimulando declarat; sed potius nocentissimos esse suo tempore puniendo ostendet. Hinc Chaldaeus vertit: *Dimittit poenitentibus, non poenitentibus vero non dimittit*; Tigurina: *Pollens viribus, ac nequam impunita scelera dimittens*; Vatablus: *Absolvendo non absolvit*: absolvere enim est non punire, ac reipsa declarare reum esse purum et innocentem, *q. d.* Etiamsi Deus non statim puniat improbos, non tamen idcirco absolvit; sed tandem de illis poenas sumet. Unde Syrus vertit: *Et justificando non justificat*; Arabicus Antiochenus: *Et mundans non mundat*; Arabicus Alexandrinus: *Et mundus sine mundatione*. Alludit Nahum ad Moysen, qui eadem epitheta dat Deo, *Exod.* XXXV, 28, et *Num.* XIV, 18. Vide ibi dicta. Theophylactus duas alias hujus loci versiones affert. Prior est: *Sine noxa existens non est citra noxam, q. d.* Deus, cum sit sine noxa et labe, punit tamen noxios, eisque noxam meritam infert. Posterior: *Innoxium sine noxa non dimittit, q. d.* In communi elade, et Ninives excidio, perdet innoxios cum noxiis, quia communem omnibus perniciem affert.

Mystice S. Hieronymus, haec omnia in bonam partem accipiens: «Deus patiens est, inquit, qui sustentat omnes ruentes, et erigit elisos: qui sanat tribulatos corde, et alligat contritiones eorum. Et magna virtus ejus: solvens inimicitias in carne, et nocentem non faciens innocentem; cum etiam qui nimium sibi applaudet, argutus fuerit, quod non merito proprio, sed Dei misericordia sit salvatus. Licet enim dicat: Ecce ego tot annos servio tibi, et nunquam praeceptum tuum praerivi; tamen quoniam bonus est Dominus omnibus, et misericordia illius super omnia opera ejus; et omnes peccaverunt, et indigent gloria Dei, justificatus ab eo gratis audiet: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Atque

ita fiet, ut in eo quod arguit et ignoscit, nullum innoxium abire patiatur.»

Moraliter: Nota patientiam esse veram potentiam. Deus enim ideo estimagnus fortitudine, quia est patiens. Vere Poeta:

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Moria.

Et alius:

Latus reges avidum domando
Spiritus, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, et ulerque Peneus
Serviat uni.

Quin et Sapiens, *Proverb.* XVI, 32: «Melior, ait, est patiens viro forti: et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.» Et Psaltes, *Psal.* VII, 12: «Deus judex justus, fortis et patiens.» Et Ecclesiastes, cap. VII, 9: «Melior est patiens arrogante.» Rationem dat Sapiens *Proverb.* XIV, 29, dicens: «Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: prudentia enim est magistra et mater fortitudinis. Quin et Cicero: «Animum, inquit, vincere, iracundiam cohibere, etc., haec qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico.»

DOMINUS IN TEMPESTATE ET TURBINE VIRE EJUS, — *q. d.* Viae Domini sunt in tempestate et turbine. Est hebraismus: Hebraei enim per pleonasmum exprimunt relativum cum suo antecedente, puta *Dominus et ejus*, cum Latini alterutrum omitant. Unde Tigurina, Vatablus et Pagninus vertunt: *Dominus via per turbinaem et procellam est*; quod explicans Vatablus: «Quando, inquit, Dominus statuit affligere aliquem, affligit vehementer et cito;» tempestas enim vehementiam habet, turbo celeritatem, quae in instanti secum omnia convolvit et rapit. Nota hic poëticam catachresin, qua graphice Dei robur, pugna et vindicta describitur, quasi venientes, et in Assyrios hostes suos irruentes cum magno impetu et fragore. Similis est *Psal.* XVII, 10 et seq. Unde Propheta eandem mox comparat exercitum magno, qui prope ras pulverem pedibus excitat, eoque aërem obscurat, juxta illud Virgillii, *Aeneid.* IX:

Hic subitum nigro glomerat pulvere nubem
Prospectant Tecri et tenebras insurgere campis;
Primus ad adversa conelamat mole Caius,
Quis glubus, o cives, caligine volvitur atra?
Hostis adest.

Ait enim: «Et nebulae pulvis pedum ejus,» id est, ut Pagninus: *Et tenebrae ut pulvis pedum ejus orunt*. Haec ergo phrasim et parabola symbolice significat: primo, magnam potentiam, iram et furorem Dei in invadenda Ninive et Assyriis; secundo, Deum non raro in hostes suos immittere procellas, ventos et turbines, quibus eos protegit, uti anno 1572, in pugna navali Christianorum cum Turcis ad Naupactum - ventum adversum

Moraliter, patientia est potentia.

Christianis subito convertit, fecitque adversum Turcis, et propitium Christianis: quae fuit causa illustris victoriae, quam ope B. Virginis tunc obtinuerunt Christiani. Idem fecit Theodosio imperatori pugnant contra Eugenium tyrannum. Quod admirans Claudianus exclamavit in *Panegyrr. Theodosii*:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Eolus armatas hiemes, etc., revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.

Idem fecit Pharaoni et Aegyptiis in mari Rubro, ut dixi *Exod.* XIV, quo hic alludit Nahum. Tertio, haec phrasim significat innumeras copias Medorum et Chaldaeorum, per quas Deus magno impetu invasit et vastavit Niniven; haec enim copiae vere pulverem ingentem pedibus suis, equis et curribus excitant. Unde Chaldaeus vertit: *Dominus in turbine et spiritu ducem se praebet, ac nubem caliginis subject coram se*. Hinc de equitatu Nabuchodonosor ait Ezechiel, cap. XXVI, 10: «Inundatione equorum ejus operiet pulvis eorum.» Quarto, vox *nebulae*, inquit Arias, symbolice significat Deum hostes suos ita circumvallare et percillere, omnesque evadendi exitus pracludere, ut ipsi velut densa nebularum et tenebrarum caligine praecipitanti, nequaquam sibi cavere, aut salutem fuga quaerere, nedum consistere ac repugnare valeant. Nam Deus velut rerum omnium dominus, ad manum habet montes, ventos, mare, flumina, grandines, fulmina plurima et potentissima, quae quasi milites Dei ad ejus nutum excubant, et in hostes insiliunt, juxta illud *Psal.* CXLVIII, 8: «Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum ejus.» Hinc vocatur Deus sabaoth, id est exercituum, tam angelicorum, quam hominum et creaturarum omnium.

Allegorice, haec veriora erunt in die judicii, quando, ut ait Sapiens, cap. V, 18: «Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, etc., et pugnat cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibi directe emissiones fulgurum, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient. Et a petrosa (*πετρώδης*, id est petras jacente) ira plene mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos.» Quam sapient qui haec meditando praevidentes, peccata cavent, sanctaeque vivunt, ut fugere valeant a ventura haec Dei ira!

Scripsit Julianus archiepiscopus Toletanus commentarium moralem et elegantem in Nahum, qui exstat tom. II *Biblioth. SS. Patrum*, ubi hunc locum tropologicè sic explicat: «Quatuor, inquit, sunt animae tempestates, et quatuor turbines ipsius. Prima est vitiorum, secunda negotiorum, tertia tentationum, quarta utilium affectionum. Prima ergo est ira, secunda miseria, tertia justi-

tia, quarta gratiae. Prima virtutum grandinat florem, secunda conscientiae pessumdat honorem, tertia contemplationis suavitissimum fugat odorem, quarta ad caelestium provohit ardentem amorem. Prima est a diabolo, secunda a mundo, tertia a miseria debilo, quarta a Deo. Prima religionis annihilat sanctitatem, secunda conscientiae turbat serenitatem, tertia divinis odoris fugat suavitatem, quarta ad angelicam sublimat puritatem. Prima ergo est divina indignationis, secunda dispensationis, tertia probationis, quarta dilectionis.» Deinde singulis remedia vel usum ita subjicit: «Vias primas sunt, pura confessio et virilis poenitentia; secundae, mundi contemptus et vita solitaria; tertiae, devota compunctio et mentis innocentia; quarta, purificati silentium animi et sponsi laetitia. Sed quia in tempestate, non in tempestatibus Domini vias esse Propheta asserit, de quarta, ut datur intelligi, specialiter loquitur, de qua lib. III *Reg.* XIX, 41. Ait enim: Elias stabat in ostio speluncae, et ecce spiritus Domini transiens, subvertens montes et conterens petras; non in spiritu Domini, et post spiritum commotio; non in commotione Dominus, et post commotionem ignis; non in igne Dominus, et post ignem sibilus aëris tenuis; ibi Dominus. Per spiritum transeuntem designatur animi tempestas, amara scilicet, sed utilis peccatorum contritio. Per commotionem, devota mentis compunctio. Per ignem, fervens et ordinata dilectio. Per silentium, beatae contemplationis secretissima infusio.» Pari modo inferius quatuor turbines animae recenset: *primus* est, subita justorum oppressio, quam sequitur tempestas, *primo* vitiorum, *secundo* suppliciorum; *secundus* est, sollicitudinum et negotiorum incurio, cui succedit diluvium criminum; *tertius* est, tentationum invasio, quam sequitur tranquillitas conscientiae et gratia donorum; *quartus* est, repentina et vehemens ex diversis causis animi commotio, quam sequitur tempestas justorum affectuum, qui succedit ordinate dilectionis amenitas, et contemplationis divinae jucunda serenitas. Huc usque Julianus.

ET NEBULAE PULVIS PEDUM EJUS, — *q. d.* Suis militum copiis incedendo Deus nubem pulveris conciat, uti jam dixi.

Tropologicè, Julianus archiepiscopus Toletanus loco jam citato: «Pedes, inquit, Domini (puta apostoli et homines sancti) pulvis sunt, per humilitatem conscientiae; nebulae, per obscuritatem eloquentiae. Pulvis sunt, humilia de se sentiendo; nebulae, arcana caelestia velamine litera tegendo; humiles vita, obscuri doctrina. Pulvis sunt, ut placeant; nebulae, ne margaritis porcis prebeant. Unde in psalmo legitur: Posuit tenebras latibulum suum, quia sub littera Prophetarum velamine operatus divi latuit. De his pedibus ait Isaias: Quam pulchri super montes pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bonam! Et alibi: Qui appropinquant pedibus ejus, acci-

pient de doctrina ejus. Isti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum predicando per universum mundum deleterunt, Petrus Romæ per Italiam, Andreas per Achaïam, Joannes per Asiam, etc., Paulus per totum orbem; sed quia officium predicationis vix potest diu exhiberi sine nævo, ideo pulvis inesse dicitur pedibus, quia fermentum gloriæ paucillimum adheret moribus. At quantum compunctionis mox fervente fugatur lumine, pulvis evanescit in morem nebulae.

4. INCREPANS MARE, ET EXSICCANS ILLED. — Ex Hebræo primo, in præterito veritè Pagninus: *Qui increpavit mare, et exsiccavit illud*; puta mare Rubrum, ut transiret Hebræi, *Exod. xiv*; secundo, plenus Tigurina veritè: *Qui statim ut increpavit mare, arefecit ipsum, omnesque fluxus exsiccavit*. Verba enim *increpavit et exsiccavit* sunt modi potentialis, sumunturque *diverſimodè*, ut crebro sumuntur futura apud Hebræos. Significant enim omnipotentiam Dei, qua solo verbo potest sistere maria, et siccare flumina quantumvis vastissima, uti siccavit Jordanem, transeunte Josue et Hebræis. Increpans ergo, vel, ut Septuaginta, comminans, idem est, quod more increpantis et comminantis imperans mari, illudque dividens, vel exsiccans, prout ei liberit. Alludit ad divisionem maris Rubri, de qua *Psal. cv. 9*: « Increpuit mare Rubrum, et exsiccavit eum » et deduxit eos (Hebræos) in abyssis sicut in deserto. » Sic Christus « exurgens comminatus est vento, et dixit mari: Obmutescite; » quo dicto sedavit fluctus, mareque effecit tranquillum, *Marci iv. 39*. Ita Albertus, Hugo, Arias, Ribera et alii. Simili schemate *Isaias xl. 12*, Dei potentiam et magnificentiam graphicè describit: « Quis, inquit, mensus est pugillo aquas, et celos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera, etc.? Ecce gentes quasi stilla situlae, et quasi momentum statera reputatae sunt. Ecce insulae quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustae. »

Tropologicè, « Mare, ait Theophylactus, est amaritudo hujus vitæ, quam insipientes nos ceu flumina appetimus. Hanc Dominus exsiccavit, ac quod in ea potioni accommodum videbatur, obliteravit; instituens nos quod in mundo afflictionem nos ferre oporteat. Si enim jugum ejus tulerimus, inveniemus requiem animabus nostris. Præterea si quisquam in temptationibus fuerit, in mari est, et in fluminibus. Ad eum ergo tentato confugiendum est, qui interminatur mari, amnesque exsiccavit. »

INFRIMATUS EST BASAN ET CARMELUS. — *g. d.* Fertillissimi montes et regiones, quales sunt Basan, Carmelus et Libanus, fiunt steriles, flaccescent et quasi emorientur, quando Deus volet; ipse enim est creator et conservator, et summus omnium dominus; uti de facto contigit tempore Eliae,

quando per triennium inhibita fuit pluvia, ideoque ex defectu aquæ omnes montes et campi exaruerunt. Unde liquet quantum Dei donum sit pluvia; expeririunt et sentiunt idipsum agricola. Symbolicè Basan, Carmelus et Libanus notant fertilitatem et opes Niniæ; mare et flumina copiam civitatis et incolarum, quæ omnia Deus in ejus excidio arefecit et sustulit. Alludit ad Tigrin fluvium, cui adjacet Ninive; hic enim urbem ab hoste tutari nequivit, sed potius cum ea, quasi infirmatus, et desolatus est. Addit Theophylactus: *Avint, inquit, Basanitim regionem fertillissimam æque ac Carmelum, a gentibus habitata fuisse pugnaibus et morosis; attamen eas Deus evertit, ac Israelæm eo introduxit; quocirca non est fidei absolum, Deum etiam Niniæm subversurum. Sic et Cyrillus. Rursum vide hic eminentes Dei in omnia imperium. Vere Poeta:*

Poli, soli, salii, omnium
Regnator avilæntes.

Et Virgilius, lib. I *Aeneid.*:

O qui res hominum Denique
Æternæ regis imperiis, et fulmine terras,

Idem Deum vocat « Cæloque Ereboque potentem, » et:

Nimborumque simul tempestatumque potentem.

Et lib. IV *Aeneid.*:

.....Deorum, inquit,
Regnator, cælum et terras qui nomine torquet.

Allegorie: « Diminuta est Basanitis et Carmelus, quando Judæi ob crucifixum abs se gloriæ Dominum, traditi sunt Romanis. Deinde per Basanitim, in moribus et operibus versans respública; per Carmelum vero dogmatum altitudo indicatur; quæ cum multa essent, diminuta sunt in concisum et consummatum sermonem Evangelii summam collecta. Libanus quoque, id est Græcorum sapientia, infatuata est. Concussi sunt autem et in cruce montes, ac natura nostra terra antehac existens, sublimata est, ad superna iter faciens, ac profectioem ad celos instituens; omnes juxta in ipsa commorantes terrene cogitationes, divinae adeoque cælestis facta sunt. In cruce quoque revera petra sensibus obiecta, scisse sunt; item petra, id est dura et saxea hominum corda, verbo Evangelii accepto, contrita sunt. Rursum in diluvio, id est in baptismo quo Christus baptizatus est, obruit hostes suos, id est demones. » Hucusque Theophylactus.

3. MONTES COMMOTI SUNT. — *g. d.* Montes loco **vers. 1** vobuntur, et terra contremiscent, quoties et quandoque Deus id volet: omnia enim hæc verba sunt modi potentialis, ac demonstrant Dei summum robur et potentiam, quod proinde merito Niniæ, omnesque impii formidare debeant. Unde Tigurina veritè: *Montes ab eo contremiscent, et colles sese resolvunt (vel colliguescunt). Alludit*

ad liquefactionem nivis, quæ montes tegit, et ita postea liquescit, ut videantur quasi dissolvi et colliguescere montes, inquit Vatablus: *terra se proripit ea ejus conspectu, et totus orbis una cum degenibus in eo. Pro proripit Vatablus veritè, flagrat, id est ignem concipit, exurit, censetque hoc accidisse in Sodoma, q. d. Deus solo verbo est auctor incendiiorum, quæ aliquando apparent in montibus, v. g. Etna, Vesuvio, Hecla, etc. Vel immittit tantum æstum, ut colles et terra ardere videantur, uti accidit in incendio Phaetontis. Unde Chaldeus veritè: *Montes commoti sunt a conspectu ejus, et disrupti sunt, ac vastata (Septuaginta, contracta est; Aquila, Iepfæ, id est hæruit) est terra ab ejus presentia, nec non orbis, et omnes qui habitant in eo, quando se patefecit cum misericordia, ut daret legem populo suo; sic commotus est mundus a conspectu ejus. Videtur enim alludere ad terræ motum Sina montis, cum in eo Mosi et Hebræis data est lex, Exod. xix. 18. Ex dictis recte infert Nahum:**

6. ANTE FACIEM INDIGNATIONIS EJUS QUIS STABIT? — *g. d.* Cum tanta sit potentia, æque ac ira Dei, quis vestrum, o Niniæ, vel cæterorum hominum coram illo subsistere, nedum ei obistere poterit?

INDIGNATIO EJUS EFFUSA EST UT IGNIS: ET PETRE DISSOLUTE SUNT AB EO. — Septuaginta: *Furor ejus consumit principatus, et petra contrita sunt ab eo; Aquila, furor ejus, exsurgens, id est conflatus est; Symmachus et Theodotus, irato, id est stillevit, q. d. Sicut ignis ardentissimus dissolvit et liquat petras, ferrum, æs, omniaque quantumvis durissima; ita ira et vindicta Dei, hostes licet potentissimos, omniaque licet firmissima dissolvit, frangit, conterit, uti vos, o Niniæ, brevi experiemini. Nam « effusa est, » id est jamjam certo effundetur in vos hic ignis furoris et vindicte Dei. Alludit ad fornaces conflatorias et metallicas, in quibus conflatur æs, ferrum, plumbum, etc., quæ igne ardentissimo liquata ita ignescunt, ut, cum pertusa fornace in fossam vicinam defluunt, videantur esse torrens et fluvius igneus, quæ petras et saxa quælibet obvia in momento incendit et absunt, uti oculis meis vidi in Ardenna. Sane videbar mihi in illis vivam incendiiorum gehennæ effigiem intueri. Adeo horrendus est hic ignis, talis est ira Dei. Quis ergo sapiens eam ruminans, non percellatur? Quis non caveat peccata, ne illi illam in se concitet, ne corpus et animam bisce incendiis ultro objiciat? Merito exclamas et proclamas omnibus impiis (sed, heu! pauci audiant), o *Isaia cap. xxxiii. 14*: « Conteritii sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? »*

Secundo, Sanchez: « Ignis Dei indignantis, inquit, est fulgur et fulmina; hæc enim sunt arma Dei, quæ in inimicorum suorum caput ejaculantur. *Habac. iii. 11*: « In luce sagittarum tuarum, ibunt

in splendore fulgurantis haste tue. » *Psal. xvii. 45*: « Misi sagittas suas, et dissipavit eos. » hoc est, ut explicans subdit: « Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos. » Sic fulmine et grandine Deus sideravit Sisaram, *Judic. v. 20*: « De celo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt. » Sic et Virgilius, *Aeneid. I*:

Insonare poli, et crebris micat ignibus æther,
Presentemque viris intulerunt omnia mortem.

Et *Aeneid. VIII*:

Namque improvise vibratus ab æthere fulgor,
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente.

7. BONUS DOMINUS. — Solent Prophetae, quasi concionatores industri et eximii, post minas consolari, et læta tristibus subjungere, ne peccatores desperent; sed penitentes spem veniæ et salutis concipiunt. Ita hic Nahum, postquam graphicè depinxit iram et furorem Dei in infideles, injustos et impios Niniæ, hic vicissim Dei clementiam et bonitatem in fideles et pios Israelitis et Judæos demonstrat, indeque apposite vocatur Nahum, id est consolator. Consolatur enim hic Ezechiæm et Judæos obsessos a Sennacherib rege Assyriorum, prædicans ejus stragem, et Hierosolymæ liberationem, ac Niniæ hostilis excidium: qua re pariter consolatur Israelitis, sive decem tribus, paulo ante a Salmanasare, cui successit Sennacherib, vastatis, et in Assyriam abductos. Consolatio enim est afflictio videre quod Deus ipsorum injurias ulciscatur, et de persecutoribus ac vastatoribus poenas sumat, eosque pariter talionis persequatur et vastet. Ostendi enim in Proemio, Nahum prophetasse inter annum sextum regni Ezechiæ, quo vastata est Samaria, et decimum quartum, quo obsessa est Jerusalem a Sennacherib; quod fuit interstitium octo annorum. Ergo in hoc interstitio et paulo ante obsidionem Jerusalem, ejus eventum felicem, puta solutionem et liberationem, prædicat hic Nahum. Itaque ait: « Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis; » Septuaginta, *græcè*, id est utilis, suavis, beneficus, Dominus expectantibus eum in die tribulationis; Chaldeus: *Bonus est Dominus Israel, ut innatur et tempore angustiae; Pagninus: Bonus Dominus, fortitudo in die angustiae, q. d. Deus suis in tribulatione fortem, validam et efficacem afferre solet optem. Optime Tigurina et Vatablus: Benignus, cæcis et clemens (hæc enim omnia significat hebræum כַּיָּהוּבָה) est Dominus (servis suis fidelibus) presidium temporibus difficillimis. Hebræice enim כַּיָּהוּבָה mox significat fortitudinem, locum fortem, arcem, presidium, munitionem. Unde Antichristi deus vocatur *Maozim, q. d. Deus fortitudinum; vel Mars, ut veritè Pagninus, Daniel. cap. xi. 38. Mars ergo noster, arx nostra, asylum nostrum, idque invictum, in omni tribulatione est Deus.**

ET SCIENS SPERANTES IN SE. — Septuaginta: *Cognoscens timesites se*. Scientia haec est practica et effeicax, non speculativa et otiosa, *g. d. Deus cognoscens*, id est approbat, amat, protegit, propugnat eos, qui spem suam in eo collocant; uti mox proleget et propugnabit Ezechiam et Judaeos contra Sennacherib. Sic ait Deus Moysi: «Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me,» *Exod. xxxiii, 12*. Sic de electis et beandis ait Apostolus: «Cognovit Dominus qui sunt ejus,» *II Timoth. ii, 19*. De reprobis vero et aeterna poena pleendis ait Christus: «Nunquam novi vos: discedite a me qui operamini iniquitatem,» *Matth. vii, 23*.

Vers. 8.

8. ET IN DILUVIO PRETEREUNTE, CONSUMMATIONEM FACIET LOCI EJUS. — *Primo*, Rupertus et Lyranus per diluvium accipiunt castra numerosa Sennacherib, quae instar diluvii inundaverunt et oppleperunt Judaeam, uti docet Isaias, cap. vii, 7, *g. d. Exercitus Assyriorum erit quasi diluvium Judaeam obruens*, sed praeteriens et cito transiens. Nam Deus «faciet consummationem loci ejus,» scilicet tribulationem et captivitatem, ait S. Hieronymus, hoc est, Deus faciet ut cito illa consummetur, finiatur et cesset, nec amplius illa ejusque locus reperitur. Verum durissime consummatio loci attribuitur consummationi tribulationis; aliud enim est locus, aliud loci tribulatio.

Secundo, S. Hieronymus, Remigius et Hugo diluvium accipiunt passive, pro ipsa vastitate illata Samaritae, et decem tribubus ab Assyriis, quae praeterit, cum Deus consummavit locum ejus, excindendo scilicet Niniven.

Tertio et genuine, diluvium hic vocatur exercitus Medorum et Babyloniorum, qui, instar diluvii, ingenti turba, celeritate et impetu invaserunt Assyrios, eorumque locum, puta regiam Niniven vastarunt. Haec enim fuit consummatio, et excidium urbis et regni Assyriorum, *g. d. Deus vos, o Assyrii*, funditus quasi quadam eluvione hostium perdet, obruetque vestram Niniven, Medorum et Chaldaeorum copiis et insulibus; ac cives illius tenebris, id est omni calamitate et clade, persequetur. Ita Theodoretus, Clarus, Arias, Vatablus et a Castro. Hunc esse sensum patet intuenti Hebraea; nam מְקוֹמָהּ *mekoma* significat locum ejus feminine, puta Ninives, utpote contra quam totum hoc oraculum dirigitur; est enim hoc *onus Ninive*, ut dicit in Prologo vers. 1. Favet id quod narrat Diodorus Siculus lib. III *Histor.*, nimirum ad excidium Ninives, confluisse ex Babyloniis, Persis, Medis, Arabibus et Bactrianis super quadraginta hominum millia. Hoc enim fuit diluvium non aquarum, sed hominum et militum. Addit Arias hoc diluvio significari inundationem Tigris, qua obruta fuit Ninive; sicut ex adverso Babylon capta est a Cyro, diverendo Euphratem, qui Babylonem interluit, in alias fossas, et per sicum ejus alveum milites immittendo in urbem, uti ex Xenophonte et aliis ostendi, *Daniel. v, 30*, et *Jerem. l, 38*. Hanc enim

Tigris in Niniven exundationem significare videtur Propheta hoc loco, et cap. ii, 6, dicens: «Portae fluviorum apertae sunt, et templum ad solum dirutum;» et vers. 8: «Ninive quasi piscina aquarum, aquae ejus; ipsi vero fuerunt,» *g. d. Deus nimhos coeget in Tigrim*, ut is exsuet, et cataclysmo Niniven obruat. Eiusdem inundationis clarus est testis Diodorus Siculus lib. V *Hist.*: «Erat, inquit, responsum progenitoribus datum, nunquam Ninam (Niniven, haec enim a conditore dicta est Ninus et Nina) capi posse, nisi cum fluvius urbi hostis fieret. Quod nunquam futurum ratus (rex Ninives) spem cepit obsidionis traducenda, et simul futura auxilia expectabat. Cum duobus annis obsidio perseverasset per summum otium obsessorum, tertio continuas imbribus exarscens super modum fluvius, cum partem urbis inundasset, muros dejecit ad stadia viginti. Hic rex existimans tempus oraculi advenisse, desperata salute, ne in hostium potestate perveniret, pyram in regia ingentem exstruxit, seque cremandum una cum suis in ignem iniecit. Hostes audita regis morte, urbem per eam, quae ab oraculo predicta erat, muri partem ingressi, Arbaem regiam stola indutum regem appellarunt.» Haec Diodorus, qui consentiunt S. Epiphanius et Dorotheus in *Vita Nahum*, qui Niniven aquarum eluvione perditam asseverant, ut dixi in Prologo; quae omnia hinc loco mire consentiunt, quo Deus Ninive comminatur excidium per tempestatem, turbinem, nimbos et ventos, quibus exundans Tigris urbis muros dejecit. Tantum hoc interest, quod Diodorus id contigisse asserat sub Sardanapalo, ejusque hoste Arbae Medo, qui coevi fuerunt Oziae regi Juda, ac nullis annis praecesserunt prophetam Nahum; sed fieri potest ut in persona et tempore errarit Diodorus. Nam Justinus lib. I, Herodotus lib. I, Orosius lib. I, cap. xix, et alii in excidio Ninive sub Sardanapalo, nullius exundationis meminere. Sic enim videmus, in rebus praecisae saepe facta ipsa apud auctores constare; personas et tempora certa non constare. Factum enim ipsae relictis monumentis et signis indicari potest, personae vero et tempora ob fluxum saeculorum et gentium naturam, ob minus attentam diligentiam, ob variam linguarum et sermonum, ac dominationis mutationem, inverti ac turbari facile possunt; ex divinis autem Scripturis temporum vera ratio petenda est, inquit Arias.

Denique diluvium hoc accipi possit cladis et stragis Assyriorum, puta militum occisorum; qua una nocte ab angelo in castris Sennacherib caesa sunt 185 millia; tunc enim Deus consummationem fecit loci ejus, id est loci castrorum Sennacherib, quando hunc locum replevit cadaveribus militum, qui illo in loco castrametabantur. Hunc enim locum juxta Jerusalem pro castris suis cepit et occupavit Ninive, id est Ninivite et Assyrii, cum suo rege Sennacherib. De Sennacherib enim,

ut cepit, ita pergit agere in sequentibus; quia tunc cepta est Ninivitarum et Assyriorum clades, quae postea plane consummata et completa est in excidio Ninives per Medos et Chaldaeos, de quo cap. ii, 1.

Prophetae, de regiorum suarum et transi-ta.

Tropologie, disce hic quam celer sit regnorum, regum, opum, deliciarum, honorum, totiusque mundi fluxus, transitus, interitus. Ecce tibi Tigris, qui per naves merces omnes advehat Niniven, intumescens illam ipsam obruit, et hosti invadendam tradidit. Ecce tibi incluta illa Babylon, quam dilabat, roborabat et ornabat Euphrates, per illum ipsum in alias fossas derivatum a Cyro, capta et eversa est. Vere aequae ac pulchrae S. Augustinus mystice explicans illud *Psalm. cxxxvi: Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus dum recordaremur tui Sion: «Flumina, ait, Babylonis, sunt omnia quae hic amantur et transeunt. Nescio quis amavit v. g. agriculturam, ipsam exercere, inde ditescere, imo occupare animum, inde percipere voluptatem; attendat exitum et videat, illud quod amavit non esse fundamentum Jerusalem, sed fluvium Babylonis,» etc. «Advocatum esse, inquit, res magna est, potentissima eloquentia in omnibus habere susceptos, pendentes ex lingua disertis patroni sui, et ex ejus ore sperantes, vel damna, vel lucra, vel mortem, vel vitam, vel perniciem, vel salutem. Nescis quo te miseris. Alius et iste fluvius Babylonis est, et quod multum sonat, strepitus aquae saxa percutit. Attende quia fluit; percutit, attende quia labitur; et si attendas quia fluit et labitur, cave, quia trahit.» Idem ostendit de navigatione et mercatura, utramque scilicet esse fluvium Babylonis, utriusque lucra cito transire et praeterlari: «Uno, inquit, naufragio nudus exis, et recte te planges in flumine Babylonis, quia noluit sedere et flere super flumina Babylonis. Alii ergo cives sanctae Jerusalem, intelligentes captivitatem suam, attendunt humana vota, et diversas hominum cupiditates hac atque illac rapientes, trabentes, impellentes in mare, vident haec, et non se mittunt in flumina Babylonis, sed sudent super flumina Babylonis;» et mox: «O sancta Sion, ubi totum stat, et nihil fluit! Quare dimistimus conditorem tuum et societatem tuam? Ecce inter fluenta et labentia constituit; vix quisquam raptus a flumine, si tenere lignum poterit, evadet. Sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina Babylonis; talis sit humilitas nostra, ut nos non mergat. Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine;» et inferius: «Sedebit autem, et plorabit, si recordatus fuerit Sion. O pax illa quam videbitis apud Deum! O pax illa et sancta aequalitas angelorum! O illa visio et spectaculum pulchrum! Ecce in Babylonia pulchra sunt quae tenent; non te teneant, non te decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. Super flumina Babylonis, illic sedi-*

mus, et flevimus cum recordaremur Sion.» Mens ergo nostra, ut sapiat, ut firma feliciter consistat, super flumina haec se erigat, et in stabili aeternitate, in Sione, inquam, coelesti se ipsa defigat.

Secundo, S. Bernardus, serm. *De B. Maria*, pag. 395: «Triplex, inquit, est diluvium: unum iniquitatum; aliud adversitatum hujus vite; tertium calamitatum gehennae. De primo per Nahum dicitur: in diluvio pretereunte consummationem faciet, ac si diceretur: Si diluvium vitiorum super hos ceperit abundare, nolite de illis desperare; quia super quos inundare permitto injustitiam, super illos faciam abundare gratiam. Hinc illud *Micheae iv*: Venies usque ad Babylonem, ibi liberaberis. Et illud *Isaiae liv*: Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. Consummationem ergo Deus faciet praereunte diluvio; quia de profundo vitiorum virilitur erigit, quos ponit in virtutum culmine,» etc.

9. QUID COGITATIS CONTRA DOMINUM? — Aliqui vers. 9. putant sermonem esse ad Judaeos pavidos ob adventum et obsidionem Sennacherib, *g. d. Quid vos, o Judaei*, modice fidei, diffiditis Deo, quasi ipse vos e manu Sennacherib liberare non possit, aut non velit? itaque cogitatis cum vel non esse satis potentem, vel non satis providum et clementem, ad protegendam suam urbem, situmque populum? Verum melius alii passim censent sermonem esse ad Assyrios, *g. d. Quid vos, o Assyrii*, cogitatis mala contra Dominum, id est contra Domini plebem, urbem et templum, ut scilicet obsideatis et evertatis Jerusalem et Judaeos, itaque mala malis cumuletis? Exscidistis enim Samariam, et pari modo vultis excindere Jerusalem: sed Deus malitiam vestram inhibebit, nec permittet secundo affligi et excindi Israel. Unde sequitur: «Non consurget duplex tribulatio.» Ita Hebraei, S. Hieronymus, Remigius, Haymo et Lyranus. Aut, *g. d. Quid vos, o Assyrii*, cogitatis Domino ulciscenti resistere, vosque in castris Sennacherib per angelum, ac Niniven per Chaldaeos oppugnanti et everteni, obiectis vallibus et militibus opponere? Impingitis enim in fortem, et contra stimulum calcitratis: nam «consummationem ipse faciet,» ipse vos consumet et disperdet. Haec enim est eadem consummatio cum illa, de qua paulo ante dixi: «Consummationem faciet loci ejus,» scilicet Ninives. Ita Theodoretus, Theophylactus, Clarus, Arias et Vatablus. Alludit ad *Isaiae x, 23*: «Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terrae.» Vide ibi dicta (1).

(1) Posterior sensus longe est probabilior; nam cogitare, moliri, machinari contra Joannem, inquit Maurer, non cogitare de Joana, esse intelligendum textum hebraicum, docent quae leguntur vers. 11: *Ecce te excidit cogitans contra Dominum malum*. Quae a Rosenmüllero alitata est inter-

Duplex
tribulatio,
quod pri-
mo pri-
mo.

Non consurgat duplex tribulatio. — Chaldaeus: Non consurgat domus Israel duplex angustia; Arabicus: Non consurgat altera vice in nocimento; Syrus: Non stabit (surget) duabus vicibus tribulatio, q. d. Unam angustiam passus est Israel in exordio Samariae, et decem tribuum per Salmanasar: quare non patietur Deus clementissimus secundam ei inferri a Sennacherib, ut duas ejus tribus reliquas et Jerusalem excidat. Ita Hebraeus quem citat S. Hieronymus. Secundo, alii, q. d. Deus ita fortiter una vice per angelum caedet et atteret castra Sennacherib, ut secundo ea percutere et plagam iterare non sit opus: quia extremi supplicii ea afflicta, et primo ictu ea disperdet et consumet. Ita Vatablus.

Secunda.

Tertia.

Tertio, alii, q. d. Deus nimis irruptione Chaldeorum subvertet Ninivem, ut secunda non sit opus. Simili enim phrasi ait Absai de Saule: «Nunc ergo perfordiam cum lancea in terra, semel, et secundo opus non erit.» I Reg. xxvi, 8. Explicat enim consummationem que praecessit, q. d. Consummabo stragem et excidium Ninives una percussione, ut secundo non ferire non debeam. Ita a Castro. Sic ait Virgilius *Aeneid.* XI: Procubuit moriens, et humum semel ore monordit.

Et Ovidius, *epist.* v:

Nulla reparabilis arde
Lesa pudicitia est, deperit illa semel.

Omes hi sensus probabiles sunt; primus tamen, quem tradit quoque S. Cyrillus et Theophylactus, magis videtur congruus et appositus, magisque respondet communi tropologiae, quam mox afferam; illique magis favent Hebraea, quae ad verbum habent: *Non exarsit duabus vicibus tribulatio.* Tribulatio enim pertinet ad populum Dei; consummatio ad infideles et impios Ninivitas. Unde Septuaginta vertunt: *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione.* In idipsum, id est idipsum, vel ob idipsum, scilicet crimen vel delictum. Theodotus: *Non consurgat secunda tribulatio; Symmachus: Non sustinebit impetum secunda angustia; Pagninus: Non consurgat bis angustia.* Et sic explicare videtur Nahum, vers. 12, dicens: «Affixi te, et non affligam te ultra. Et nunc conteram virgam ejus de dorso tuo.» Sat enim Israel

pretatio aliorum, ea insuper falsum sensum subijcit sub membro postremo: *non consurgat duplex tribulatio.* Haec enim verba manifeste expellenda sunt ad rationem veriorum quae habentur cap. ii, 1 (Vulg. 1, 15): *Non adjiciet ultra ut perturbent, etc.* Quae verba cum dicta sint ad Judam, haec profecto clarior est, cogitandum utroque loco esse de malo, quod accidisset Judae, non quod decem tribuum, verbo, cogitandum esse de irruptione in Judam facta ab Assyriis anno regnantis Hiskie decimo quarto. Haec legitur calamitas non iterum inferatur Judaeis, quantum iri dicitur verbis: *Non consurgat, etc.* Quia ratione cautum iri poterit, dicitur verbis proxime praecedentibus: *Consummationem ipse faciet, et subsementibus vers. 10, delendis, puta ad destructionem Assyrii.*

per Assyrios punitus videbatur vastatione Samariae et decem tribuum, ut Hierosolymae et Judaeis parcendum esset; Judaei enim, sive duae tribus, in decem tribuum, utpole fratrum suorum, exordio, sat poenarum dederunt Assyrio. Hinc ex versione Septuaginta manavit Theologorum axiomata: «Deus non punit bis idipsum,» quando nimis illa puniuit, ut poena adequari culpam; si enim non adequari, sed illa sit inferior et minor, juste iterare et augere potest plagas, donec culpam adequent.

Unde tropologiae, S. Hieronymus et Remigius sic explicant, q. d. Quos Deus punit in hac vita, eos secundo non punit in futura. Audi S. Hieronymum: «Quid contra Dominum cogitatis? Ipse qui creavit mundum, et consummationem ejus facit. Quod si vobis videtur crudelis, rigidus et cruentus, quod in diluvio genus deleuit humanum; super Sodomam et Gomorrhah ignem et sulphurem pluit; Egyptios submersit fluctibus; Israelitarum cadavera prostravit in eremo, scitote cum ideo ad praesens reddidisse supplicia, ne in aeternum puniret. Non vindicabit Dominus bis idipsum in tribulatione. Ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Receperunt ergo et qui in diluvio perierant, et Sodomitae, et Egyptii, et Israelitae in solitudine mala sua in vita sua: » Ubi videtur sentire S. Hieronymus Sodomitas, Pharaonem et Egyptios hic punitos, ne punirentur in inferno? sed contrarium verius est: occisi enim sunt a Deo in flagranti delicto, puta Sodomitae in invasione domus Lot, ut hospitibus angelis turpiter abuterentur: Pharaeo et Egyptiis in tyrannica persecutione Moysis et Hebraeorum; mortui ergo in peccato descenderunt in tartara, ut dixi *Gen. xxix, et Exod. xv.* Quae ita deinde S. Hieronymus: «Si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat? Aut enim punietur, quod est hoc quod dicitur: Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione. Aut non punietur, et optandum est adulteris ut in praesentiarum brevi et cita poena cruciati frustrentur aeternos.» Ad respondet: «Deum, ut omnium rerum, ita et suppliciorum quoque scire mensuras, et non praeverni sententia judicis; nec illi in peccatore exercenda dehinc poena auferri potestatem; et magnum peccatum magnis diuturnisque elui cruciatibus; si quis autem punitus sit (satis et adequate ad mensuram culpe) ut ille in lege qui Israelitis maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri, quia culpa levis praesenti supplicio compensata sit,» q. d. Adulter decollatur, quia peccato suo lesit republicam, eique dedit scandalum; decollatione ergo luit offensam in republicam. Idem tamen offendit Deum; unde necesse est ut pariter hanc offensam luit contritione, confessione et satisfactione, vel satisfactione (v. g. offerendo Deo decollationem in satisfactionem adulteri) ad equata culpe: quod si moriatur impoenitus, aut satis-

Tropologiae,
Dens punit in hac vita, non punit in futura.

Harcticorum
paraloga-
gismus.

factio haec non sit adequata, Deus eam adequabit in inferno, vel in purgatorio. Adde, adultrium ejus punitur decollatione; non vero ejus obstinatio et impenitentia: illam ergo huc debet in inferno. Quare imperite haeretici hoc loco abutuntur contra satisfactionem; dum sic argumentantur: Christus luit omnia peccata nostra, illaque Deus in ipso abunde puniuit; ergo non punit illa in nobis, nec exigit a nobis poenas temporarias; quibus pro illis satisfaciunt divinas justitias; imperite, inquam, tum quia Christi satisfactio altioris est ordinis, quam sit nostra. Est enim generalis pro culpa totius generis humani; nostra vero est particularis, pro propriis culpis. Jam sicut causa universalis, v. g. sol; non tollit efficientiam causarum particularium, v. g. hominis ut generet hominem; sed potius cum illis operatur, et earum cooperationem exigit, ita ut sine illis non operaretur, ita pariter Christi satisfactio generalis nostram particularem requirit, nec sine illa operatur. Hoc ergo axioma: «Deus non punit bis idipsum, intellige in eodem rerum ordine: nam in diverso saepe bis punit. Hinc pro peccato Ade, et culpa generis humani non aliam exigit satisfactionem, quam Christi; quia illa generalis fuit culpa generalis adequata: pro culpis vero particularibus, particulares singulorum exigit satisfactioes. Tum quia Christi satisfactio nil prodest, nisi nobis eam applicemus: applicare autem eam debemus pro nostram cooperationem et satisfactionem. Id enim voluit et ordinavit Christus, uti docent Scripturae et Ecclesia.

Moraliter, de poenitentia.

Tropologiae, puniamus hic peccata nostra voluntaria poenitentia; ita Deus non punit ea in futuro. «Neque enim bis in idipsum judicat Deus, sed impenitentes ipse judicat et damnat; poenitentes vero, quia a seipsis suscepit judicatos, absolvit, neque judicio quod poenitentiae humanae severitas profuit, aliquid justitiae caelestis apponit,» ait S. Cyprianus serm. *de Poenitentia Christi*; nam de impenitentibus ait Jeremias cap. xvii, 18: «Duplex contritio contere eos, idque quia eorum contritio hic coepit, illic (in gehenna) perficitur, ut incorretis unum flagellum sit quod temporaliter incipit, sed in aeternis supplicis consummatur; quatenus eis qui omnino corrigi renunt, jam praesentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum,» ait S. Gregorius lib. *XVIII Moral.*, cap. xiii. Ita Mauritius imperator oravit peccata sua puniri in hac vita, ut non puniretur in futura; oravit et impetravit: unde ipse cum filius a Phoca imperatore interceptus est. Hinc S. Fulgentius orabat: «Domine, da hic patientiam, et illic indulgentiam,» uti habet ejus Vita. Et S. Augustinus: «Hic ure, inquit, hic secat, ut in futuro parcas.» Quiri et habent cap. iii, 16: «Ingrédiamur, ait, puerum in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accitum hostium.» Idem optarunt et obtinuerunt septem fratres Machabaei exercitaci ab Antiocho, II Machab. vii. Nam, ut ait S. Paulus I Cor. xi, 32: «Dum judicamur, id est punimur in hoc mundo, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.» Hoc sapiebat abbas Olymptius, qui rogatus quomodo assidue degens in spelunca, ibi ingentes toleraret aestus et culicum morsus, respondit: «Ideo ista tolero, ut futuris cruciatibus liberer: ideo cimpheas patior, ut immortalem effugiam vermem; sic et aestum patior, ut aeternum ignem evadam; haec enim temporalia sunt, illa finem nullum habent,» uti refert Sophronius in *Prato spirit.*, cap. cxli. Qui et cap. cxlii narrat fratrem quendam victum ab aecidia audisse ab abbate Alexandro: «Si in cella tua sollicitus cogitares regnum colorum, et cruciatum aeternum, in cella tua aecidiam non sentiret.»

10. QUA SITUT SPINAE. — Clare vertit Pagninus: *Vers. 10. Quae venient usque ad spinas complexas, et cum inebriati fuerint ebrii, consumentur sicut stipula ariditate plena; et Tigurina: Nam plussime ritu veprum implictarum, cum fuerint comessando referti, absumentur eum cultus ad plevam torridis.* Siquidem, ut ait S. Hieronymus, dum in terra Juda sunt Assyrii cum Sennacherib obsidentem Jerusalem; et quasi spinae sese invicem densis agminibus complexantur, potantes, letantes et gaudentes, ab angelis caeduntur et consumuntur. Ita et Ninive capta est, dum eives praedentes suis muris et munitionibus, hostemque obsidentem contemnentem, vacarent convivii et symposiis, uti tradit Diodorus Siculus lib. III. Ita capta est et Babylon convivante rege Belsasare, *Daniel* v, 4. Assyrios comparat spinas; quia ipsi ut spinae pungentur et affligentur populum Dei, ideoque a Madis et Chaldeis quasi spinis, pari modo pungendi et affligendi erant. Rursum «convivium,» id est coetium convivarum, sive convivas; puta Assyrios convivantes et compotantes, comparat spinis; quia sicut spinae spinas implexa est, ita convivia convive assidet, ac mutuo manus conserunt et implicant, dum utroque cautes et ferula transmittunt. Rursum convivia ebrii, uti spinae spinis impleantur, dum invitati invitantes rursus invitant: itaque convivia eunt in orbem, sicutque assidua.

Moraliter, convivere vocantur spinis, quia saepe absentes sua maledictionibus, vitis et scommatibus pungunt et laerant. Vitium enim dicitatis et detractionis frequens est in convivis; lingua enim innatans vino solvitur, promittit et eructat quidquid habet in corde; imo quidquid in buccam venit. Quare M. Varro censuit convivarum numerum incipere oportere a Crattarum numero, et progredi ad Misuram, id est proficiat a tribus, et consistere in novem; ut, cum paucissimi convive sunt, non pauciores sint quam tres; cum plurimi, non plures quam novem: si enim plures sint, turbam efficient dicitur.

Convivia vocantur spinis, quia saepe absentes sua maledictionibus, vitis et scommatibus pungunt et laerant. Vitium enim dicitatis et detractionis frequens est in convivis; lingua enim innatans vino solvitur, promittit et eructat quidquid habet in corde; imo quidquid in buccam venit. Quare M. Varro censuit convivarum numerum incipere oportere a Crattarum numero, et progredi ad Misuram, id est proficiat a tribus, et consistere in novem; ut, cum paucissimi convive sunt, non pauciores sint quam tres; cum plurimi, non plures quam novem: si enim plures sint, turbam efficient dicitur.

Moraliter, convivere vocantur spinis, quia saepe absentes sua maledictionibus, vitis et scommatibus pungunt et laerant. Vitium enim dicitatis et detractionis frequens est in convivis; lingua enim innatans vino solvitur, promittit et eructat quidquid habet in corde; imo quidquid in buccam venit. Quare M. Varro censuit convivarum numerum incipere oportere a Crattarum numero, et progredi ad Misuram, id est proficiat a tribus, et consistere in novem; ut, cum paucissimi convive sunt, non pauciores sint quam tres; cum plurimi, non plures quam novem: si enim plures sint, turbam efficient dicitur.

cem et turbulentam. Alii septem duntaxat menses adhibendos iudicarent. Unde proverbium: « Septem convivium, novem convivium. » Porro convivii proprietatem præclare describit Cicerolib. De Senectute: « Bene, inquit, majores accubationem epularum amicorum, quia vite conjunctionem haberet, convivium nominaverunt. » Huic autem repugnat turba in dissidia et convicia prona; convivio, inquam, imo combibitiones. Contra hos consulto S. Augustinus hos versus mense suæ adscripsit, qui convivarum jugiter oculos ferirent, oraque a detractone compescerent:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vitæ non veritatem esse sibi.

Ita Possidius in Vita S. Augustini. Porro in Hebraeo est elegans paronomasia inter סבוכים *sebuim*, id est qui complexuntur; סבאם *sobam*, id est convivium, vel ebrietas eorum; et סוכאים *sobaim*, id est ebrii, q. d. Ebrietas ebrios stringit et colligat, sicut aculeis suis colligantur spinæ, ut sese invicem complexantur; hinc pariter Deus eos quasi in fasciculo stringet et colligabit, eisque ignem subjiciet, quo quasi stipula aridissima subito stridore contigrabunt et consumentur. Ita angelus cædens castra Sennacherib ignem pesiferum in ea immisit, ut tradunt Hebræi, de quo dixi Isaia x. 46. Ita pariter Medi et Chaldaei Niniven conviventem ferro flammaque vastarunt.

Denique Septuaginta aliter vertunt, nimirum: Quia usque ad fundamenta sua in pavimentum redigentur, et quasi smilax planta implicata comedentur, et quasi stipula ariditas comedentur. Ita habet editio Regia; sed Romana sic: Quia usque ad fundamentum suum redigetur in vepres, et quasi voluola circumdata comedetur, et quasi stipula ariditate plena. Smilax enim dicitur voluola, quod instar hederæ se arboribus circumvolvat. Smilax enim est herba spinosa, densis geniculata caulibus, fruticosa ramis, folio hederaceo, flore candido oleule lilium. Duæ ejus sunt species: prior est smilax aspera, sive hederæ Cilicia; altera smilax levis. Vide Dioscorum, lib. IV, cap. cxliii et cxlii; Theophrastum, lib. III Hist. Plant. cap. uli. Smilax levis est convolvulus major; nam minor est helxine cissampelos, inquit Dioscorus. Smilax notat corymbos et coronas quibus delictiosi convivæ se coronabant, ut dixi Amos vi, 6; illæ enim hebant ex smilace et similibus herbis ac floribus. Audi Plinium lib. XXIV, cap. x: « Smilax quoque, qui et nicophoros cognominatur, similitudinem hederæ habet tenuioribus foliis; coronam ex eo factam impari foliorum numero, aiunt capitis doloribus mederi. Quidam duo genera smilacis dixerunt: alterum immortalitati proximum in convallibus opacis, scandens arbores comantibus acinorum corymbis, contra venenata omnia efficacissimis, in tantum ut acinorum succo infantibus sæpe instillato, nulla

Smilax sive voluola que hederæ

postea venena nocitura sint. Alterum genus culta amare, et in his gigni, nullius effectus. » Assyrii ergo comparantur smilaci, arbores scandenti; quia ad altiora semper ascendentes devorati sunt a Medis et Chaldeis. Tropologicè, smilacis sunt, qui charitatem et benevolentiam simulant, ac interim perniciem moluntur, ait Theophylactus.

11. EX TE EXIBIT. — q. d. Causa tuæ cladis et excidii, o Ninive, erit Sennacherib rex tuus, qui ex te exhibit in aciem contra Dominum, id est contra Domini urbem Hierosolymam et templum, ut ea disperdat. Volet ergo quasi cum Domino bellum gerere, instar gigantum et Titanum cum Jove certantium; sed hæc gigantomachia caro illi stabil: nam cæsus et confusus a Deo, profugus rediit in terram suam, ibique a filiis occiditur; ita Theodoretus, Theophylactus, Clarius, Vatablus, Arias et Chaldaeus, qui vertit: Ex Ninive egressus est rex, qui cogitavit contra populum Domini mala. Vide blasphemiam Rabsacis, quem Sennacherib misit ad Judæos, qua jactat Deum non posse eos e manu sua eripere, Isaia xxxvi, 20. Quocirca:

12. HÆC DICIT DOMINUS (puniens tantum Assyriorum fastum et blasphemiam): SI PERFECTI FUERINT, etc. — q. d. Licet copius, robore, opibus præstetis, et numero sitis plures, imo plurimi; tamen attondebit vos angelus pertransiens et feriens. « Attendentur » ergo, id est attondebuntur (sic enim multa verba secundæ conjugationis usurpantur et conjunguntur in tertia, ut pro fervere dicitur ferveo, pro fulgeo fulgo, pro sedeo sideo), hoc est, more capillorum facillime et omnino ab angelo resecabuntur, et in terram dejicientur; et « pertransibit, » scilicet rex eorum Sennacherib, ut fugiat in suam Assyriam: vel « pertransibit, » id est evanescet, exercitus, roburque Sennacherib. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus et alii. Aliter Theodoretus, Rupertus, Arias et Vatablus; accipiunt enim de Ninive, q. d. Eliamsi Ninivite summa pace et rerum copia fruuntur, tamen eorum copia, imperium et gloria transibit ad Medos et Chaldaeos. Ubi nota: Pro perfecti hebraice est שלמים *selemim*, quod verti potest primo, pacifici; ita Vatablus; indeque concordet et unanimes ad resistendum hosti. Secundo, integri. Ita Figurina. Tertio, perfecti, ita Noster. Quarto, in pace, id est prosperitate et rerum abundantia. Ita Chaldaeus et Pagninus. Hæc omnia eodem redeunt: significant enim Assyrios integros et perfectos fuisse copiosis, opibus et viribus. Unde Pagninus vertit: Sic dixit Dominus: Num erunt in pace? Et vere multi sunt, et vere excidentur et transibunt. Et afflicti te per eos, non affligam te ultra te.

AFFLIXI TE (o Israel, o Jerusalem, per Sennacherib et Assyrios), ET NON AFFLIGAM TE ULTRA. — scilicet per Assyrios; nam per Chaldaeos postea ob nova scelera excisa est Jerusalem. Vide dicta Joel II, 38. Pronomen enim te refert Jerusalem,

Tropologicè.

Verz. 11.

Verz. 12.

sua stirpe et nomine. Unde Chaldaeus vertit: Non erit amplius memoria nominis tui. Hoc est quod Jeremias cap. xlii, 30, intendit Joachin, sive Jeconiah tyranno: « Scribe, inquit, virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui se deat super solum David. » In Jeconiah enim defecit stirps regia Davidis, adeoque regnum Juda: licet enim Jeconias genuerit Salathiel, tamen hic nunquam fuit rex, sed in captivitate Babylonica natus et mortuus, reliquit filium Zorobabel, qui Judæos Babylone reduxit in Judæam; sed regis jus et titulum nunquam est adeptus. Simili poena punitus est tyrannus Nabuchodonosor, vel potius Balsasar, de quo ait Isaia cap. xiv, 20: « Non vocabitur in æternum semen pessimorum. »

13. CONTERAM VIRGAM EJUS (scilicet Sennacherib: hebraice enim est affluxum sive pronomen masculinum) DE DORSO TUO. — Virgam vocat vim et tyrannidem, qua Judæos affligebat, obsidebat et quasi vincetos tenebat (1). Unde Chaldaeus vertit: Frangam jugum gentium de collo vestro, et vincula vestra præcidam; et Pagninus: Conteram jugum ejus a te, et vincula tua (quibus te constrinxit) dirumpam. Hebreum enim מַטְּוֹ *matte*, id est virga, si alio puncto legas מַטְּוֹ *mota*, significat jugum, catenas et vincula. Symbolicè Theophylactus, virga Sennacherib, ait, sunt peccata, et tentationes diaboli, quæ conterit gratia Christi. Eadem sunt semen diaboli, quod suffocat Christus. Unde de eo sequitur: « Non seminabitur ex nomine tuo amplius. » Hæc sunt zizania, de quibus Christus Matth. xiii, 27.

14. ET PRÆCIPUIT SUPER TE DOMINUS (2). (« Præcipiet, » id est decernet et sanciet id quod sequitur): NON SEMINABITUR (id est ut non seminetur) EX NOMINE TUO AMPLIUS. — hoc est, ut nemo deinceps gignatur ex te, qui nomen tuum et stirpem propaget, vocetur filius tuus, et sit rex Assyriorum. Nam paulo post fugiens Sennacherib in Assyriam, in templo dei sui a filiis est interfectus. Unde filium deinceps generare nequivit. Successit ei quidem in regno filius Asarhaddon jam pridem gemulus; sed et hic paucis annis regnavit, nec solem in regno reliquit. In eo ergo defecit stirps regia Sennacherib. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus, Clarius, Vatablus, Ribera et alii. Aliter Theodoretus et Theophylactus, q. d. In excidio Ninives desinet argutum illud nomen Nini et Assyriorum; eorum enim monarchia transferetur ad Babylonios. Unde deinceps Assyrii vocabuntur Babylonii, quia Babylonis rerum dominis erunt subditi: sicut postea utriusque vocati sunt Græci et Romani, cum ab Alexandro et Romanis fuerunt subacti. Aliter quoque Sanchez, q. d. Nominis Sennacherib non amplius seminabuntur agri, quorum fructus in regnum ejus horreum comportentur; quia ipse brevi spoliabitur imperio et vita. Regis enim nomine fieri dicitur, quod ejus imperio, æque ac commodo fit, non alterius. Sic ait Plautus in Mercatore:

Tibi aras, tibi oces, tibi seris, tibi eidem melis.
Tibi denique iste pariet lætitiarum labor.

Moraliter, discè hic justum judicium Dei, quotalionem reperdit tyrannus, v. g. Assyrius, ut qui aliena invaserant, perdant sua, imo intereant cum

(1) Recte Rosenmüller: « Vates eo respicit, quod Hiskiam regem Juda Sennacheribus tributarium sibi fecerat, II Reg. xviii, 14. »

(2) Sermonem ad regem Assyrium convertit Propheta, cui deauitiam Deum decrevisse illum perdere, et nominis sui memoriam penitus abolere.

De dono DEI TUI INTERFICIAM SCULPTILE ET CONFATILE. — Hæc jungenda sunt cum Hebræo, Chaldaeo, Septuaginta et Romano, licet Biblia Regia, S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Lyranus et Clarius aliter dispungant, nimirum sic: De (id est in) dono Dei tui interficiam, scilicet, o Sennacherib: sculptile et confatile ponam sepulcrum tuum. Verum Hebræus, Septuaginta et Chaldaeus tollunt hanc dispositionem, omniaque hæc connectunt. Interficiam ergo, id est excidam, tollam, disperdam, exterminabo tua sculptilia, id est tua idola, tuos deos. Unde Septuaginta vertunt: Et dono Domini Dei tui disperdam sculptilia et confatilia; et Chaldaeus: De dono idolorum tuorum debebo simulacrum et confatile; quia, ut sequitur, et ut expresse habet Chaldaeus et Pagninus, ibi ponem sepulcrum tuum, q. d. Profanabitur templum dei tui Nesroch cæde tua, presertim tua immani et parricidiali, qua tu rex et monarcha a propriis filiis in ipso templo occideris, ibique inhumatus jacebis, IV Reg. xix, 37; quo fiet ut idola pariter profanata censeantur, atque ut profana vel abjiciantur, vel efferantur et confringantur, q. d. « Inde punieris unde sperabas auxilium. Erit sculptile et confatile sepulcrum tuum, ut inter aras et pulvinaria adorantis idola, sanguis nefarius effundatur, » ait S. Hieronymus. Templum ergo jam non erit templum deorum, sed sepulcrum tuum, id est regis a filiis mactati. Sic Lucas ait lib. VII: « Cælo tegitur qui non habet urnam. » Sic mare est sepulcrum naufragorum. « Quia inhonoratus es; » quia scilicet ob cœlestem in Judæa exercitus tui stragem, turpemque tuam ex ea fugam, contemptus a tuis civibus et filiis in templo occideris; ibique instar idoli contracti et projecti, sanguine et tæbe manans, inscultus prociçeris, idque in justam penam et vindictam; quia scilicet tu sacrilege inhonorasti, contempsisti et blasphemasti Deum Israel.

Posses secundo, sic exponi, q. d. Por Medos et Chaldaeos in excidio Ninives excidendam, diripiendam et disperdam pariter tua sculptilia, tua idola, in quibus tu, o Sennacherib, frustra tuas spes collocaisti: insuper ibidem ponam sepulcrum

tuum, id est regis a filiis mactati. Sic Lucas ait lib. VII: « Cælo tegitur qui non habet urnam. » Sic mare est sepulcrum naufragorum. « Quia inhonoratus es; » quia scilicet ob cœlestem in Judæa exercitus tui stragem, turpemque tuam ex ea fugam, contemptus a tuis civibus et filiis in templo occideris; ibique instar idoli contracti et projecti, sanguine et tæbe manans, inscultus prociçeris, idque in justam penam et vindictam; quia scilicet tu sacrilege inhonorasti, contempsisti et blasphemasti Deum Israel.

tuum, quia tu illa honorans, me inhonorasti. Minus recte S. Cyrillus haec refert ad Josiam, qui in Judaea delubra idololorum subvertit, IV *Regum*, XXII. Agitur enim hic de templo Ninives, non Judae. Nota: Pro *quia inhonoratus es*, Septuaginta vertunt, *quia velox es*; Chaldaeus, *quia hoc perfacile est coram me*. Hebraeus enim *קל* significat primo, levem; secundo, velocem; tertio, facilem; quarto, vilem et inhonoratum: homines enim leves sunt viles et abjecti.

Vers. 13. 13. ECCE SUPER MONTES PEDES EVANGELIZANTIS. (Ita quoque Syrus vertit, et Arabicus uterque, *q. d.* Casus Sennacherib, statim cursores et veredarii id ipsum ubique divulgabunt. Unde Ezechias et primores Judaeorum hoc evangelium, id est letum nuntium, per suos cursores et praecones, more gentis suae, in montibus proclamabunt, ut a populis circumquaque in vallibus habitantibus, quam longissime dato tubae signo exaudiantur. Clamabant ergo, dicentique): CELEBRA, JUDA, FESTIVITATES TUAS (antea ob obsidionem intermissas), ET REDDE VOTA TUA, — quae pollicitus es Deo, cum in Jerusalem obsidereris a Sennacherib, ut ab eo te liberaret. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Haymo et Lyranus. Ubi advertit minus verum videri quod S. Hieronymus, Haymo et Hugo censent, scilicet per festivitates intelligi solemne illud Pascha institutum, et restitutum ab Ezechia, II *Paral.* XXX, 3 et 15. Nam illud diu ante adventum Sennacherib, sub initium regni sui instituit Ezechias, ut patet II *Paralip.* XXX, 3. Septuaginta, quos sequitur S. Cyrillus, Theophylactus et S. Augustinus, lib. XVIII *de Civit.* XXXI, ita disjungunt et legunt: *Quia velox esse super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem*. Atque idipsum allegorice referunt ad Apostolos evangelizantes pacem et gratiam Christi, ut alludat Nahum ad *Isaia* LII, 7: « Quam pulchri super montes pedes evangelizantis et praedicantis pacem! »

Mystice. S. Augustinus: « Haec, ait, ad novum Testamentum pertinent, quorum dies festi ita spiritaliter innovantur, ut in vetustatem transire non possint. Porro per Evangelium exterminata sculpilia et confamilia, id est idola deorum falsorum, et oblivioni tanquam sepulture tradita, jam videmus. Et hanc etiam haec in re prophetiam completam esse cognoscimus. » Et S. Hieronymus: « Si quando, inquit, gravissima persecutio fuerit, qualis sub Valeriano, et Decio, et Maximiano (hi enim sunt nostri Assyrii et Sennacheribi), et Domini ultio apparuerit in adversariis ejus (uti apparuit in strage Valeriani, Decii et Maximiani), dicamus ad Ecclesiam. Celebra, JUDA, festivitates tuas, et redde vota tua. » Sic tropologica anima fidelis Evangelii assecta, quieta et sancta celebrat sua festa, exultans et jubilans Deo in laude et gratularum actione, in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, uti monet Apostolus *Ephes.* v, 19.

Unde apte haec referas ad renovationem spiritus et votorum, quam Religiosi faciunt, ac praesertim Societatis nostrae his quotannis. Haec enim est solemnitas ingens, eisque propria: atque in ea redduntur, id est renovantur et instaurantur vota, ut, si quid ex voto obedientiae decesserit propria voluntas, ex voto paupertatis propria commoditas, ex voto castitatis incauta curiositas, id totum abdicetur, ut vota primaeve integritati et sanctitati resituantur, imo puriora, integriora et ardentiora evadant. Unde fiet quod sequitur: « Non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial, » ut scilicet vitium cui subjectus fueras, tibi amplius dominetur, sed illud perfecte vincas et mortifices. In his enim tribus perfecta renovatio consistit, nimirum primo, ut Juda, id est vir religiosus confidens et laudans Deum, celebret suas festivitates, hoc est feriatas et liber a terra rebusque mundanis, arcibus se totum Deo addicat et consecret, juxta illud *Isaia* LVIII, 13: « Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, etc.: tunc delectaberis super Domino, et susollam te super altitudines terrae, et cibabo te hereditate Jacob patris tui. » Secundo, ut reddamus vota Deo; reddamus, inquam, ea prima et integra, taliaque qualia fuere, cum primum ea Deo novimus. Tertio, ut ultra Belial in nobis non pertranseat: Belial, id est sine jugo, vel vetustum, est innatus cuique defectus, et vitium principale, a quo caetera oriuntur; v. g. in uno vitium principale est ambitio, in alio gula, in tertio aecidia, in quarto pusillanimitas. Renovatio in eo consistit, ut hoc vitium quisque ita mortificet, ut amplius non dominetur, sed si quando mentem pulsat, statim supprimatur et reseccetur; ita ut vitium sit in ejus potestate et dominio, ut illud ad libitum frenare et regere possit. Qui haec praestat, fit homo novus, celestis et divinus; ac, ut ait Nazianzenus, « in suis actionibus explendescit; » quia terrena fastidians, mente in caelo versatur, vivitque in confinia Dei laude, amore et júbilo, vitamque agit sanctam, apostolicam, angelicam, seraphicam, adeoque jam praeludium habet vitae beatae, eamque orditur et inchoat, brevi eandem consummaturus in caelo.

QUA NON ADJICIET ULTRA UT PERTRANSEAT IN TE BELIAL. — Belial dicitur quasi בלי עול *beli ol*, id est sine jugo; hinc Belial significat inobedientiam, impietatem, apostasiam; ac secundo, ipsos inobedientes, impios, apostatas, qui jugum legis, vel fidei, vel professionis excutiunt; quorum quia princeps et caput est diabolus, hinc tertio, Belial significat diabolum. Unde pro Belial Tigurina vertit, *Deo et hominibus infestus*. Hinc in Scriptura homines valde impii et scelerati vocantur *fili Belial*. Vide dicta II *Cor.* vi, 15. Hic ergo impium et theomachum Sennacherib cum suo exercitu vocat Belial, *q. d.* Impius Sennacherib non am-

plus suis copis te, o Judaea et Jerusalem, obsidebit et affliget; quia universus interit, cesus ab angelo. Ita S. Hieronymus, fugo, Valabius. Alii per Belial accipiunt Assyrium, id est Assyrium, ut singulare ponatur pro plurali, *q. d.* Perit Ninive et imperium Assyriorum: translatum est enim ad Chaldaeos. Ita Theodoretus, Remigius et Albertus. Porro Septuaginta vertunt: *Non apponet ultra ut pertranseat in vetustatem. Consummatum est, consummatum est; ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione*; vel, ut S. Chrysostomus legit in lib. *Decem Homil.* Romae impresso: *Non adjiciet ultra venire ad vetustatem. Consummata sunt, sublata sunt. Ascendit enim et terra insufflans in faciem tuam, et extimens e tribulatione*. Quae ita interpretatur, *q. d.* Vetera consummata et sublata sunt: nova facta sunt omnia. Videntur Septuaginta Belial derivare a radice בלל *balal*, id est inveterascere, consumi; ut *belial*, sive *beli ol*, sitidem quod *vetustus fugi* et servitutus.

Aggogice.

Hoc aggogice de renovatione Ecclesiae futura

in fine mundi ita explicat S. Hieronymus: « O Juda (o Ecclesia, o fidelis, o sancte et eccle), redde vota tua, quia nequaquam ultra pertranseat inimici qui te adducent in vetustatem, hoc est, qui te volunt inaginem portare veteris hominis. Quoniam quod vetus est senescet, et quod senescit perditioni proximum est. Completus est mundus, consumptus est adversarius: venit tibi Christus, qui prius insufflaverat in faciem tuam; cum te de limo fingeret, et post resurrectionem quoque insufflans in faciem Apostolorum ait: Accipite Spiritum Sanctum, ipse est qui te liberat de tribulatione. Vastata enim Ninive et transeunte mundo, tribulatio quoque pertransiet. »

Allegorice hic Belial, puta Sennacherib hostis populi Dei, est diabolus, peccatum et mors, inquit S. Cyrillus et Theophylactus, quem prostravit et fugavit Christus, cujus ira et furor contra eum graphice describitur hic vers. 2, 3 et 6. Quocirca eo fuso et fugato tranquille agit Ecclesia, ac sine timore et periculo celebrat suas festivitates.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit vaticinari obsidionem et excidium Ninives per Medos et Chaldaeos, quorum arma, castra, et milites feroces, celeres et terribiles instar fulguris graphice describit. Deinde, vers. 8; Ninives desolationem, spoliationem, pavorem et consternationem depingit; causamque addit et inculcat, quod fuerit cibus leonum, id est tyrannorum et praedonum (1).

1. Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem: contemplare viam, confort alumbos, roborata virtutem valde. 2. Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel: quia vastatores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruperunt. 3. Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis: ignea habene currus in die preparationis ejus, et agitadores consopiti sunt. 4. In itineribus conturbati sunt: quadrigae collisae sunt in plateis, aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrunt. 5. Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros ejus, et preparabitur umbraculum. 6. Porta fluviorum aperta est, et templum ad solum dirutum. 7. Et miles captivus abductus est: et ancillae ejus minabantur gementes ut columbae, mur-

(1) Describitur obsidio et direptio Ninives, nec non ruina ejus et Assyrii regni. Et primo, notatur aggressio Ninives per Chaldaeos: primo, horum describitur adventus ad obsidionem faciendam, contra quos Ninivitas ad urbem defendendam ironice excitat Propheta, 1; secundo, redditur ratio bellici apparatus ad obsidendam et expugnandam Ninivem instruendi, de quo, versi superiore, cohort, quod Deus precium populi sui chari dignitatem resistens decrevit, 2; tertio, ut illud efficitur, prius hostis illius potentissimi sedes defendens est; unde vates pergit describere tum apparatus armorum et militum, 3; tum exercitum numero, ferocia et celeritate timendum, vers. 4.

Secundo, describit Propheta, quid suscepturus sit rex Assyrius ad defendendam urbem Ninivem, advocat strenuos quosque, qui ex muro pugnent, est ob nimiam festi-

nationem et consilii inopia alter alteri impedimento est, simulque vident machinas obsidionis jam paratas, 5.

Tertio, sequitur descriptio expugnationis, primo, per portarum diruptionem et templi eversionem, 6; secundo, per praesidiarum captivitatem, et urbium dependentium delitionem, 7; tertio, per civium ignominiosam fugam et dispersionem, 8; quarto, per diruptionem rerum pretiosissimarum, 9; quinto, per summam animi ex his calamitatibus perturbationem, 10.

Quarto, jam Assyrii devictis amarulenter Propheta insultat, tyrannidem et rapacitatem regis et procerum eorum eadem perstringens, iterumque praedicit extinctionem regni Assyriorum, primo, per destructam metropolim ac sedem potentiae et opulentiae, 11, 12; secundo, per sublatis principes cum insignibus imperii Assyriorum, 13.